



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Avla ... Thesavorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1658**

§. 15. Stabat autem & Iudas, qui tradebat eum, cum ipsis. v. 5.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-4556**

fices & Seniores populi; qui eos miserant, ut eum caperent, morte turpissima afficerent, eraderent de terra viventium; ut non maneret eius memoria in æternum. Iste fuit sensus eorum, qui bonum imo optimum verbum responderunt.

**D**omine Deus, satis clare video idem verbum posse esse in ore fidelis mei, & in ore infidelis hominis esse fel. video verbum tuum posse duci ab homine catholico & ab homine Apostata: sed tamen longe diverso loco & animo. Iesum Nazarenum hi milites querunt & se querere dicunt, sed quæm diversa intentione ab illis foeminiis quæ post paucos dies venerunt ad tuum sepulchrum, iraque non statim credam omnes esse sanctos qui verbum tuum crepant, sed examinabo eorum intentionem quia video idem verbum posse esse in ore iusti & reprobati diverso fine.

§. 14. *Dicit eis Iesus: Ego sum. v. 5.*

Quasieis diceret: Erratis amici mei, Ego ipse sum quem queritis infidiose per Principum vestrorum mandata capere, & idem ego ipse sum Iesus, de quo Prophetæ vestri prædictere venturum Messiam ad liberandum populum suum à peccatis eorum, à morte ad vitam, & vitam æternam, nolite ergo alium querere Iesum, præter me, Iesus enim sum & salvator vester, quem queritis, si igitur & vos queritis salutem, en adsum praesertim etiam vobis, quam iam aliis sapientia dedi.

**O** Christiane, si impiis hominibus se & gratiam suam tam prompte obtulit Christus, quanto promptius eandem gratiam, imo se ipsum quoque offerret his, qui ipsum in veritate perquirunt! Discamus iam ex hoc verbo Christiano candorem prudentem, ut nomen nostrum, nomen Iesu Christi, fidem nostram libere confiteamur, si à Tyranno audis, es Christianus: es Catholicus: libere responde, Ego sum, ut, per constantem fidem confessionem, cum Christo esse mercaris, disce blandis verbis respondere etiam inimicis & calumniantibus te, disce quam blande excepturus sit electos in redditu suo viatores, si iam benevolè exceptit hostes in procinctu ad bellum.

§. 15. *Stabat autem & Iudas, qui tradebat eum, cum ipsis. v. 5.*

Non sine causa hic dicit adfuisse Iudam proditorem tanquam belluarum furenum ferocissimum, & Ducem militiae infaustæ stetisse ante cohortem, ut prior apprehenderet Iesum Magistrum suum, dum haec via proficeret. Ego sum, ut ostenderet animum peccatorum, qui in

pro-

profundum devenerunt, quam ille sit impudens & perditus, ita ut omnem verecundiam exuerit. Sane si unquam impudentis hominis exemplum existit, illud certe fuit.

**O** Filij hominum ratione utentium nolite malis moribus vos date; noli-  
te dñe peccatum, videte in hoc impudente speculo, quo usque per-  
venire possit homo, si sibi non caveat ab initio peccati, uti iudas, qui sibi  
non cavit ab initio, à parvis furtis, & pervenit ad magnas prodiciones &  
tantam impudentiam.

**S. 16. Ut ergo dixit Iesus, Ego sum. v. 6.**

Videamus quid sit hoc verbum *Ego sum*. Cum Moyses mittebatur ad Deo ad liberandum populum Israëliticum ē servitute Ægypti & interrogaret nomen mittentis sc̄e, responsum accepit, Dei mitteatis nōmen esse: *Ego sum qui sum; vel qui est*, quod nōmen si ruditer expendatur videtur esse ridiculum, quia nobis apparet quod etiam alii sint qui sunt. Sed si hoc ipsum exacte perpendatur, revera nōmen est, quod soli Deo convenire posset per essentiam, aliis per aliqualem tenuemque participationem. Deus enim solus est de quo semper verum est *Ego sum*, de aliis creaturis non semper est verum: *Ego sum*. Sed verum est, fuit tempus cum non erat, cum ex ego Dominus noster Iesus dicit, *Ego sum*, mirificum verbum eructavit, nempe eundē se esse, qui olim Moysi locutus sit, *Ego sum*. Hoc nōmen est illud quod iudei sub quatuor literarum notis pictum ineffabile censebant esse, nempe qualibet litera verbum notante integrum ut esset perinde ac si diceretur *Deus Est, Fuit, Et Erit* uti Buxtorfius in Lexico suo, licet acatholicus, contra suos fratres facetur, qui cum suo inscitissimo Iehoua solent Bacchanalia celebrare quasi magnam rem fecissent legendo, quod legi non potest.

**G**ratias ago tibi Domine Iesu quod confessus es esse te illum, qui es, & qui fuisti semper, & qui semper eris. Hæc confessio est fidei nostræ pri-  
ma propositio & basis. Da obsecro gratiam ut hoc nōmen tuum semper  
contra Arianos confitear & bonam eius vim in me experiar.

**S. 17. Abierunt retrorsum & ceciderunt in terram. v. 6.**

Etiam infastam vim habet idem nōmen Dei & verbum *Ego sum*,  
quia iudas & socii eius illud audientes cadunt, terrentur, deficiunt. Agnoscere evenire huic nomini, quod evenit etiam solis radio, ille lutum indurat,  
picem liquat, arenam exurit, german fovet, itaque verificatur etiam hic  
proverbium, *Vnumquædque iuxta quod capax est recipit actionem agen-*